Carmel. Discalceat. Cr. Crac: Ver novum veris exa-
cti Stagyritici cursus laureis amoenum ~~&c.~~
- publicis Thesibus salutatum.

JESVS. MARIA.

VER NOVUM,

Veris exacti Stagyritici Cursûs laureis

AMÆNVM.

IN CARMELI VERTICE,

ád Immaculatum Lilii inter ſpinas candorem,

SUB AUSPICIIS

A. R. P. N. O.

PROVINCIALIS,

PROVINCIÆ SANCTI SPIRITVS

per Poloniam & M. D. Lithuaniæ

NOVITER ELECTI:

NEC NON

RR.PP. NN. CAPITVLARIVM,

IN CONVENTU NOVITIATUS IMMACULATÆ VIRGINIS CONGREGATORUM,

Publicis Theſibus

à FF. Carmelitis Eiuſdem Ordinis

Studij Philoſoph: Cracovień:

SALVTATVM.

Anno Salutati inter brumam peccati Divini Veris, 1694. Die 2. Maij.

Defendentur publicè in Conventu Cracovienſi Carmelitarum Diſcalceatorum, Horis pomeridianis. hh.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



SÆcula florigero non desperentur ab ævo,
Sydera CARMELO, dum sociata nitent.
Signandis quia temporibus sunt addita cælo;
Ver non immerito, jam denotare queunt.
Explicat hinc ergo Cedrus cum Palma Virorem;
Virginis immo etiam Lilia sacra nitent.

ADMODVM REVERENDO
PATRI NOSTRO OBSERVANDISSIMO,
Provinciæ Sancti Spiritus
per Poloniam & M. D. Lithuaniæ

PROVINCIALI

NOVITER ELECTO;

NEC NON

Adm: Reverendis Patribus Nostris Observandissimis,

CAPITVLI PROVINCIALIS GREMIALIBVS,

Cum Filiali affectu, humilem submissionem.

VER NOVVM, *Vestris sub Auspicijs sistimus. A. R. P. N. Observandissime, Cæteriq; PP. NN. Admodùm Reverendi. Alijs Nonæ Maij, novam intimaverunt Lunam; Nobis Solem veriùs vel innovaverunt antiquum, vel antiquarunt novum; dum iam non ab Ariete, sed à Vestrûm præsentia Ver Nostrum auspicamur. Quanquam nec Agnus deest: ubi inter quæ pascatur,* IMMACVLATÆ VIRGINIS *Lilia offeruntur. Respondit & signo Mensis: Maio licet, Veris ne erraremus in computu; classicis assuefactus* MICHAEL, *hisce in ferijs Martium proclamavit. Certare iam non armis, sed floribus decuit: cùm & vicina Manûs* ELIANÆ, *rhomphæa, coronas reserarit. Post brumæ frigora, floruisse Vertex Carmeli debuerat; qui cùm* THERESSIANO *incalescat ab igne, totus in amœnitatem resolvitur atq; flores. Indixit illi Vester iucundissimus Veris serenitatem conspectus; dumq; spectandum, Sacer Novitiatus exhibuit, novam amœnitatis seriem explicavit. Agere novitium, decrepita temporis non recusavit senectus; Maio feliciter, Nostris in Thesibus innovari præsumens; postquam Mensis huius secundam, vel in Dominica feriam, sibi*

iunxit. Ad florentia VIRGINIS IMMACVLATÆ *Lilia, quid non amœnum præbui potuit? vbi vel ipſa, ſolitudinis ſacræ, ſpecies ne putaretur inculta;* SPECIOSA IN DELICIIS *cultum ſibi proprium arrogavit. Monſtravit pampinantes, ſuis in hieroglipbicis arbores, ab Originali Immunitas; & his tamen gemmæ deeſſe ne cenſerentur turgentes, Veſtrûm inſuper huc adunata præſentia, præbuit vnionem. Pretioſus hîc Conſeſsûs Veſtri decor, nec Nos latere debuit: qui dum MICHAELIS reſidemus ad libram, novimus illum Filialis ſubmiſsionis candore, altiùs æſtimare. Academi Aquinatici inhabitantes nemora,* VERI NOVO *debueramus ſiſtere, non habentes, cur Protoparentis ad normam, abſconderemur virgultis; quia in transgreſsionis expertem,* IMMACVLATÆ VIRGINIS *incidimus paradiſum. Ergo flexuoſo quanquam Eurippi alveo, Veſtrum benevolentiæ in portum vehimur; hilarem ſubmiſsionis revehentes teſſeram; quâ ſervos noſceretis. A Peripatetico tantiſper deviantes Lyceo, Veſtris ſubſellijs ſiſtimur; amænum* VER *teſtaturi in Theſibus, quod & Cælorum ſerenitas, & Meteororum varietas, & Metaphyſicæ perſuaſit celſitudo. Dabitis tamen ſic deviantibus veniam: cùm vel in hoc morem voluimus ſtudiorum attendere; vt ad* NOVI VERIS *primitias, remiſſioris animi gratiâ ad Vos etiam diverteremus. Imò ſi reos, Filialis teneritudo tenet Veſtras ad plantas provolvimur; non indubium Paterni Affectûs præſtolantes candorem, quo accurrentes benevole ſuſcipiatis.*

Veſtrárum Reverentiarum,

Humiles Servi & Filij,

FF. Carmelitæ Diſcalceati Collegij Cracovienſis,
SS. MICHAELIS & IOSEPH, Philoſoph: Stud.

CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ,

Ex Libris de Cælo.

I.

CÆlum constat formâ & materiâ, diversæ rationis essentialiter, à materia sublunari: estq; Substantia corporea, incorruptibilis, solida, sphærica, non tamen gravis vel levis; aut animata. Quò ad numerum, Cælos esse Vndecim evincit diversitas motûs: propter quem salvandum, (suppositâ soliditate) dantur in Cælis Excentrici, Concentrici, Epicycli, Deferentes, qui sunt Orbes partiales, contingui, solidi, sicut & Cæli totales.

II.

CÆli quò superiores, eò sunt perfectiores, distinguuunturq; realiter à Stellis & alijs Planetis, præter quos habent lucem propriam, licet perfectiorem mutuent à Sole. Omnes item Cæli, excepto Empyreo, moventur motu naturali, & quidem motu primi mobilis, moventur ab oriente in occidentem: motu Cæli crystallini moventur ab occasu in ortum, motu Firmamenti moventur à polis & ad polos mundi: hîc tamen motus non est contrarius, quia non est super eosdem polos.

III.

PLanetæ vltra motum Cælorum moventur motibus proprijs; quorum principium activum sunt Angeli, ita tamen quod tali motu nullum concentum efficiant aut sonum. Influunt etiam Planetæ cum Cælis in hæc inferiora, tam per motum, quàm per lucem, & alias qualitates occultas: vnde si cessaret motus Cælorum, cessaret & alteratio inferiorum. Influunt autem indirectè in actûs humanos, qui petunt fieri per organum corporeum, in actûs verò spirituales aut liberos, vt sunt actûs Intellectûs & Voluntatis influunt minimè.

IV.

CÆli non consequuntur necessariò suos effectûs, possunt enim impediri in causando. & ita ex contemplatione illorum possunt certò cognosci futura à solis Cælis dependentia: futura tamen, etiam ab Elementis dependentia tantùm probabiliter, futura autem libera nec probabiliter possunt cognosci.

V.

CÆlum Empyreum est corpus lucidissimum, perpetuo quiescens secundum omnes partes solidum, ita supremum, vt supra se nullos imaginabiles aut fictitios hortos, vel alia beatitudini corporeæ servientia contineat. Influit tamen in hæc inferiora, partim per lucem, partim per qualitates occultas innominatas.

Ex Libris de Meteoris.

I.

VApor & exhalatio, eſſentialiter diſtinguuntur ad invicem; imò & ab Elementis; ſunt materia omnium Meteororum à ſe diſtinctorum; forma autem Meteororum eſt forma ſubſtantialis cuiq; debita; Agens ſunt Cæli; Finis eſt pulchritudo vniverſi, & aliæ vtilitates. Meteora alia ſunt Lucida vt Iris, Halon, Vorago, Hiatus, &c. Alia ignea, vt Cometa, Fulgur, fulmen, columna, fax, draco volans, &c. Alia aquea vt nix, grando, &c. Alia terrea, vt metalla, ſucci,&c. omnia autem Meteora naſcuntur in omnibus elementis excepto igne.

II.

IGnes ſubterranei fiunt ex accenſo ſulphure vel bitumine, ab exhalatione agitata. Vix non ſemper conveniunt in colore ceruleo; non ſunt tamen flamma, ſed carbo: & licet modici ſint, ſufficiunt ad calefaciendas ingentes thermas. Ventus non eſt aer, ſed exhalatio, quæ à diverſis Orbis partibus procedens, diverſa habet nomina. Celebriores tamen ſunt venti Cardinales: ſcilicet Subſolanus, Auſter, Zephyrus, Aquilo, ad quos accedunt collaterales.

III.

TErræ motus eſt ventus terræ viſceribus incluſus, qui erumpere volens illam quatit & movet. Eius ſpecies ſunt diverſæ, vt potè Agitationis, ſubverſionis, diviſionis, &c. Non eſt dabilis terræ motus, qui totam terram moveat, licet dabilis ſit qui vno & altero anno duret.

IV.

PLuvia eſt Nubes addenſata ſtillans; ex diverſitate vaporis diverſum colorem induit; & ſic poteſt eſſe lactea, ſanguinea, &c. aliquando cum ſonitu cadit aliquando non; dividitur in Nimbum & Imbrem. Materia fluminum & fontium eſt aer liqueſcens; in cavernis terræ. cùm per diverſa mineralia fluunt diverſam vim aquirunt vtilitatis vel nocumenti & ſic aliqui ſunt fontes venenoſi, aliqui calidi, aliqui certis ſolum temporibus fluentes,&c.

V.

FLuxus & refluxus maris cauſatur à Luna: non per ſolam lucem aut motum, ſed etiam per qaalitatem occultam impellendo aquas ab vna parte terræ ad aliam: ſalſedo maris cauſatur ab exhalationibus terreis à Sole mari mixtis. Lapides & terræ inſignes fiunt ex exhalatione addenſata vapori mixta penes accommodam diſtributionem, ita quod pro lapidibus magis addenſetur pro terris inſignibus non ita. Similiter Metalla & ſucci concreti fiunt ex vapore exhalationi mixto iuxta eandem accommodationem, vt pro metallis magis denſetur quàm pro ſuccis.

Ex Me-

Ex Metaphyſica.

I.

METaphyſica eſt Sapientia Ordinis naturalis, vna in ſpecie, habens pro obiecto Ens reale abſtrahens à Creato & Increato dicens pro ratione quidditativa eſſentiam, ita quod ſit tranſcendens reſpectu ſuorum inferiorum, habeat contradictorium, ſitq; Analogum vtraq; analogia. Et licet tale obiectum ſcilicet Ens ſit primum cognitum intellectûs noſtri cùm ſit conceptus ſimpliciter ſimplex, non tamen habet conceptum vnum communem, præciſum ab inferioribus, ſed immediatè ſignificat inferiora.

II.

ENs dividitur in Actum & Potentiam: ſub Potentia non continetur Potentia Obiectiva, cùm non detur in rerum natura, ſicut nec Potentia Reſiſtitiva diſtincta ab Activa & Paſsiva. Vnde Potentia vt ſic adæquatè dividitur in Activam & Paſsivam. Potentia verò Paſsiva dividitur adæquatè in Naturalem, Violentam, & Obedientialem, quæ in ſuo conceptu non importat Naturalitatem vel ſupernaturalitatem, ſed tantùm rationem Entis participati connotando DEVM vt exlegem.

III.

ENs habet Paſsiones verè & propriè reales; Res tamen & Aliquid, non ſunt rigoreæ paſsiones, & ſic paſsiones Entis rigoroſæ ſunt tantùm tres, Vnum, Verum, Bonum, quæ & convertuntur cum ente. Vnum non addit aliquid poſitivum ſupra Ens,ſed negationem identitatis cum alio extra ſe pro formali exprimendo entitatem connotantem dictam negationem. Verum tranſcendentale dicit pro formali reſpectum ad Intellectum Divinum & Intellectum creatum. Verùm autem formale conſiſtit in conformitate conceptus formalis ad conceptum obiectivum. Bonitas non conſiſtit in relatione reali vel rationis, ſed in perfectione intrinſeca rei exprimente integritatem formalem.

IV.

ESſentia eſt principium aut quaſi principium eſſendi, in ſubſtantijs ſpiritualibus, nullam admittit compoſitionem Phyſicam, ſecus in ſubſtantijs materialibus. Eſſentiæ rerum ſunt negativè ab æterno extra DEVM, non poſitivè, imò nec dicuntur creari vel produci ſed concreari.

V.

PRincipium individuationis ſubſtantiæ materialis non eſt Forma, nec Materia ſignata quantitate formali, ſed vt eſt ſignata quantitate virtuali præhabita. Iam verò ſubſtantiarum ſpiritualium eſt forma vt fundat gradum ſpecificum principium individuationis, ſub qua etiam implicat dari plura individua. Accidentium autem principium individuationis eſt ſubiectum, in quo atiam repugnat dari duo accidentia ſolo numero diſtincta.

VI.

HYpostasis à natura distinguitur realiter in creatis. non addit solam negationem sed etiam aliquid positivum quod non sunt principia individualia, nec aliquod accidens, nec sola connotata extrinseca nec existentia, sed realitas aliqua media terminans naturam & faciens susceptivum vt Quod existentiæ. Natura terminata vna subsistentia non potest terminari alia, & Persona creata non potest terminare Naturam alienam, potest tamen subsistentia produci à causa secunda principaliter.

VII.

EXistentiá in creatis est accidens prædicabile, non prædicamentale: distinguitur realiter ab Essentia, tanquam res à re. Implicat illam dari partialem, estq; perfectior quàm Essentia in ratione actûs. Existentia accidentis datur distincta ab existentia substantiæ estq; probabiliter inhærentia actualis si sumatur pro entitate inexistentium accidentium, non pro modo vnionis. Modi dantur in rerum natura, suntq; affectiones ponentes determinationem in rebus.

VIII.

CVm necessariò detur aliquod Ens Increatum, quâ tale vnum, circa cuius existentiam ignorantia invincibilis dari non potest; summè bonum, perfectum, infinitum, scilicet DEVS Optimus, Maximus, non potest dari processus in infinitum in causis subordinatis; sed omnia ad illum tanquam ad vltimum Agens & Finem reducunrur. quem cùm nostræ quoq; Theses attingerint, illi dicatæ sunto.

…rmelitarum Discalc. Coll. Cra. SS. Mich. et Jos.

Ver novum (Conclusiones philosophicae ex libris de coelo).